

num. 16., quod tex. loquitur pro foro externo, & cum præsumptione, quod ignorantia allegata esset vincibilis, culpabilis, improbabilis, & affectata, quia ubi ignorantia est probabilis, etiam in foro externo excusat tex. in c. Apostolicæ de Clerico excommunicato, quod etiã colligitur ex ipso textu, quia pari modo decernit de Ignorantia Juris, ac ignorantia facti, & tamen certum est ex regula ignorantia de reg. jur. in 6., quod ignorantia facti excusat, undè necesse est dicere, quod Pontifex habuerit talem ignorantiam pro improbabilis, ut notat Felinus ibi sub num. 2., culpabilis, & affectata, immò ex textu notatur, quod Pontifex distinguit inter præsumptionem violentam, & non violentam, ita ut data violenta præsumptione scientiæ, nolit beneficium dispensationis per Abbatem impertiri, quare constat, quod responsio innititur juris præsumptioni, non autem veritati, pro ut nostra responsio, & resolutio procedit, quod observat Ancharan in eo c. cum illorum sub nu. 12. V. undecimo ad finem, ubi quod præsumitur regulariter contra eum, qui cum sit adultus, præterit ignorantiam Juris, aut facti proprii recentis, maximè Felinus ibid. sub num. 2. Vers. item probat, & Vers. ultimo nota; Ratione autem posset comprobari ex eo, quia ex Clericis, & Monachis, nemo præsumitur ignorare privilegium, sibi competens ex canone, si quis suadente Diabolo 17. q. 4., & consequenter illi

Monaci, qui allegabant hujusmodi privilegii ignorantiam, non videbantur excusabiles, vel dato, quod scirent, se incurrisse excommunicationem propter violentam manus injectionem in Clericum, ad suum statum, & conditionem spectabat scire, quod non poterant suscipere ordines, nisi prævia absolutione ab excommunicatione, undè allegata ignorantia, erat contra Juris præsumptionem.

46 Ex qua responsione duo colligo; Primum, quod ignorantia Juris, aut pænæ universaliter, neque excusat ab incurrenda pænâ, neque relevat, sed tunc tantum non relevat, quando est culpabilis, vincibilis, & affectata, quod & nos supra diximus; Alterum quod colligo est, ex ea Pontificis responsione, quod ignorantia culpabilis, vel non culpabilis, semper diminuit de culpa, & de pænâ, patet ex responsione Pontificis dicentis, quod si Monaci, vel non erant memores facti, vel ignorantibus Jus, posset tamen ab Abbate dispensationem consequi, quod negatum erat in prima parte responsionis, in qua non supponitur talis ignorantia, sicque comprobatur, quod dixi supra, quod ignorantia diminuit culpam, vel sit Juris, vel pænæ, ratione etiam Theologica posset confirmari, quia cum voluntas non ferratur in incognitum, semper ignorantia diminuit de voluntario, & consequenter de culpa, qua diminuta diminuenda est pænâ, ut culpæ commensuretur.

ARTICULUS XVI.

Per quos Jurisdictio suppleatur in casu negligentia.

Per negligentiam Judex amittit jurisdictionem c. per tuas de sent. excommunic. Abbas in c. ex transmissa nu. 7. de foro compet., ideoque per negligentiam Judicis delegati jurisdictio devolvitur ad Ordinarium. Quæritur ergo data Judicis negligentia, per quos alios Judices suppleatur.

2 Regula est, quod jurisdictio suppletur per Judicem superiorem c. irrefragabili §. excessus de off. Ordinarii, c. Postulastis de concessione Præbendæ, c. 1. de supplend. neglig. Prælatorum in 6., c. Grandi de supplend. neglig. Prælat., ideo

negligentiam Capituli, vel alterius inferioris collatoris, supplet Episcopus d. c. irrefragabili §. excessus de off. Ordinarii, c. licet de supplenda neglig., ita Capitulo, vel Archidiacono negligente visitare, quando id spectat ad eos, Episcopus supplet; Romanus cons. 371. incipit in Proposito ad finem, Episcopo autem negligente, jurisdictio devolvitur ad Archiepiscopum, c. 2. de concess. Præb. Romanus cons. 361. in casu proposito num. 6.

Quod tamquam de Jure divino asseritur in can. inferior dist. 21., Thom. del Bene de comitiis dub. 27. sect. 4. subsect. 1. 2. 3.

Non

3 Non tamen jurisdictio Episcopi devolvitur ad Archiepiscopum, in casu quo Episcopus non exercet jurisdictionem, eo quia excommunicatus; ut habemus tex. in c. Romana de supplend. neglig. Prælatorum in 6., & ratio est, quia excommunicatus est impeditus uti jurisdictione, impeditus autem non est negligens, etiam si impedimentum positum esset ex sua culpa, posset tamen fieri negligens, si per ipsum excommunicatum staret, quin tolleretur impedimentum, quod notavit glos. in eod. c. Romana in fine casus, & tunc Superior suppleret, sicuti negligens neque posset dici Episcopus, qui à Paganis, vel Schismaticis captus non posset Ecclesiæ suæ inservire, c. si Episcopus de supplenda negligentia in 6.

4 Supplere tamen non poterit Superior, nisi prius assignato inferiori termino, infra quem impleat munus suum, quando terminus non est à Jure assignatus, eoque termino elapso, si adhuc Judex, vel Prælati inferior negligat, tunc Superior supplebit c. irrefragabili §. excessus de offitio Judicis ordin., vel si Episcopus expetitus recuset expressè facere justitiam, c. ab eo ad finem de appellat. in 6., Barbosa ad Trid. sess. 24. c. 20. num. 14. 15., ubi si Episcopus causam Ecclesiasticam non terminaverit infra biennium ex sua negligentia, & ter requisitus, adhuc negligat, possunt partes recurrere ad Superiorem, qui suppleat, assignato tamen prius termino quatuor, vel sex mensium Judici Ecclesiastico, quo elapso, nec terminata causa, si per Judicem stet, & non per partes, aut propter gravitatem causæ, Judex sit negligens, & causa potest advocari, quia denegata justitia, Superior adiri potest §. sit tibi igitur Aub. de mandat. Princip., & in §. statuimus Aub. de Statutis, & consuetudin., l. statuimus C. de Epis., & Cleric., c. transmissa, c. licet ex parte, c. ex tenore de foro compet.

5 Devolutio tamen causata ob negligentiam, est ad Superiorem, non è contra, c. 1. de supplenda neglig. Prælator. in 6., c. Grandi de supplenda negligentia.

Rationem asserit Abbas in c. qualiter, & quando num. 7. de Judiciis, quia naturale est, ut fortior suppleat pro infirmiore, ita Superior pro inferiore, non è contra.

6 Sequitur ergo, quod cum Episcopus, & Judex Ecclesiasticus sit major, & superior Principe, & Judice laico, laici Judicis negligentis suppleat jurisdictionem, c. qualiter, & quando de Judiciis, ubi Formosm. q. 1. num. 25.

c. transmissa, c. licet: c. ex tenore de foro compet., Aub. ut differentes Judices collat. 9., Sperell. decis. 98. num. 43., quod potest Ecclesiasticus facere, quia habet jurisdictionem secularem habitu; Abbas in c. qualiter, & quando num. 7. de Judiciis, quam rationem asserit etiam Barbat. in eod. c. qualiter, & quando num. 16. Vers. ultimo nota cum seqq., Carol. de Grassis de effectibus Clericatus effect. 1. num. 391.

7 Limita tamen si laicus haberet offitium perpetuum, ut Rex in suo Regno, qui habet offitium, & jurisdictionem perpetuam gubernandi, & regendi suos subditos, & tunc si est negligens, superior Ecclesiasticus non supplet jurisdictionem, sed dat ei coadiutorem c. Grandi de supplenda negligentia Prælatorum; Ubi Regi Portugaliæ negligenti, datur ejusdem frater coadiutor, quia interest Reipublicæ, non solum quo ad temporalia, sed etiam quo ad spiritualia, quod Rector Communitatis, seu Regni, sit diligens, prudens, pius, devotus, & Sacrorum defensor.

8 Nec regula ista limitatur in casu, c. significavit de offitio Ordin., Ubi Ordinarius supplet negligentiam delegati Papæ, licet in causa delegata sit nobilior Ordinarius; c. si quando de offitio Judicis delegati, c. sanè eod. tit., quia tunc Papæ delegantis exercet jurisdictionem, nam ex eod. c. habemus, quod Ordinarius supplet ex commissione Papæ, non verò uti Ordinarius, quare non est inferior in casu supplendi, vel dicamus cum Abbate in c. qualiter, & quando num. 7. de Judiciis, quod regula allata, quod minor non supplet negligentiam majoris, intelligatur, nisi in casibus in jure expressis, ex Innocent. in c. quia diversitatem de concessione Præbendæ in hoc ergo c., aliisque infra allegandis, dicimus esse casus in jure expressos.

9 Sicut neque limitatur in c. statuimus de supplend. neglig. Prælatorum, ubi negligente Episcopo benedicere Abbatem, ipse Abbas nihilominus poterit benedicere suos Monachos, & alia facere, quæ ad offitium suum pertinent; nam tunc Abbas, non supplet jurisdictionem Episcopi, ad quem non spectat benedicere Monachos, sed etiam dato, quod Abbas tunc suppleret, id faceret ex Papæ commissione, sicque in causa delegata esset Superior.

10 Obstare verò videtur c. nulla de concessione Præbendæ, ubi Pontifex dicit, quod si Episcopus negligat conferre beneficia vacantia infra sex menses, hujus negligentiam suppleat

H 2

pleat Capitulum, quod est inferior; Verum loquitur textus id servandum, ubi immemorabilis esset consuetudo, ut habetur in *c. Vultarana* in 2. parte de elect., & in *c. ea noscitur* in fine, de iis quæ sunt à Prælati sine consensu Capituli, quod notavit gloss. in *c. nulla* in V. spec. Etat de concess. præb.

ARTICULUS XVII.

An ex sola negligentia inferioris devolvat iurisdictionem ad Superiorem.

Uæstio est, utrum ex sola negligentia devolvat causa ad Superiorem, nam gloss. affirmat in *c. Pastoralis* in V. exceptis de officio Ordinarii, & in *c. irrefragabili* in V. Capitulum, & in *summa* in V. quod autem, ibi, item cum suffraganeus est negligens 9. q. 3., allegat. *c. simus* 9. q. 3., *c. cum per tuas* de sent. excomm., *c. qua fronte* de appellat., *Ancharan* in *c. 1. sub num. 1. de supplenda negl. Prælat.*, ubi, & *Dominicus à S. Geminiano sub num. 5.*, *Azor. p. 2. instit. moral. lib. 3. c. 34. q. 10. Vers. Quæres, post Abbatem* in *c. ex frequentibus* de Instit., exceptis tamen in delictis, nisi delicta notoria sint, Quorum sententia fundatur in eo, quod allegati canones, alique allegabiles, frequenter dicunt ex negligentia inferiorum iurisdictionem devolvere ad Superiorem.

Ratio est, quia titulus de supplenda negligentia Prælati generalis est, & ea quæ ponuntur sub eo exempla, sunt declarantia, non restringentia; tum quia ratio supplendi negligentiam generalis est, ut scilicet utilitati Ecclesiarum, & subditorum consulatur, ne ex negligentia Episcopi, aut alterius Iudicis damnum accipiant.

2 Verum *Barbosa* in *c. 1. de supplenda negl. Prælat.* num. 9. in 6., post *Abbatem* in *c. si quis contra* num. 4. de foro comp., & in *c. Pastoralis* num. 10. de off. Ord., *Archid.*, aliosque ibi allegatos, sentit, quod non possit poni pro regula, quod ex sola negligentia, iurisdictionem inferiorum devolvat ad Superiorem, ex eo, quia hoc non habetur in iure cautum, erubescimus autem sine lege loqui, qua propter *Gaill. lib. 1. observat. 28. num. 3.*, dicit devolvere per appellationem, non à denegata iustitia, sed ob negligentiam Iudicis, ubi quod tunc assignatur terminus, infra quem iustitiam faciat, alias devolvat iurisdictionem, vel sub pœna, quo

termino elapso, ad pœnam proceditur.

3 Ad tex. autem pro prima sententia relatos respondit *Barbosa*, quod ij militat in casibus, in quibus loquuntur; sed non faciunt regulam generalem, cum nullus tex. habeatur, qui pro regula generaliter loquatur, idèd *Clement. 1. de celebratione miss.*, quæ propter negligentiam Rectoris, qui deberet omnimodo curare, ut Ecclesiarum ministri in Ecclesia in Choro, in cemeteriis abjectis vanitatibus, scurilibus, immodestis, inhonestis actionibus, locutionibus &c. Divina officia attentè, & devotè perfolverent, devolvit iurisdictionem ad Ordinarios, quo ad non exemptos, quo verò ad exemptos ad eorum Superiores, ita in hoc præciso casu militare dicit, nec facere regulam generalem.

4 Sicut *Trid. sess. 23. c. 18. de reform. vers. (quod si Cathedralium)* ubi, quod si Prælati Cathedralium, vel aliarum majorum Ecclesiarum in Seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, Episcopum, Archiepiscopum, & Superiores, Synodus provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat &c. quod pariter in hoc tantum casu disponit, non autem generaliter.

5 *Tex. in c. Romana* §. sanè vers. (Notoria verò de censibus in 6. disponit, quod Archiepiscopus visitando Provincias, si notoria crimina invenerit, quæ non indigeant examinatione, cum super his meritò notari possit Ordinariorum negligentia, liberè corrigat, pœnam pro illis debitam infligendo) hic etiam ex sola negligentia sine ulla appellatione devolvitur iurisdictionem, sed in casu expresso, propter notoreitatem, & in actu visitationis tantum.

6 *Tex. in c. venerabilibus* §. sanè de sententia excomm. in 6. loquitur in casu quo excommunica-

municator malitiosè negligit, & denegat absolvere excommunicatum, & tunc Superior iudex poterit eundem excommunicatum absolvere, constituto solum de negligentia, & de denegata absolutione, sicque iurisdictionem devolvit absque appellatione interposita.

7 Similis est casus in *c. ad reprimendam* §. tu verò frater de off. ordinarii, tunc scilicet Archiepiscopum posse absolvere excommunicatum ab Episcopo, quando Episcopus nolit eum absolvere, sicque in suo tantum casu militat; Ita in *c. significavit de officio Ordinarii* dicitur, quod si ex desidia, vel malitia Iudicis delegati Papæ, quis perseveret in peccato, Ordinarius loci potest iurisdictionem supplere, non obstante commissione facta delegato, ubi notatur, quod totta ratio cur Ordinarius suppleat iurisdictionem delegati, est, ne quis perseveret in peccato propter desidiam Iudicis delegati; In *c. Quanto eod. tit. de officio Ord. Ordinarius* supplet negligentiam Abbatis non revocantis Monachum vagabundum ad claustra, sicut, & supplet quando Superior Regulari instante Episcopo in termino assignato non punit Religiosum, qui deliquit extra claustra, ipse enim Episcopus illum delinquentem punire poterit ex *Trid. sess. 25. c. 14. Ubi Barbosa num. 10.*, refert D.D. inquirentes, an possit Episcopus in eo casu imponere censuras,

& pro utraque parte allegat Doctores.

8 In *c. ex tenore, c. licet ex suscepto, c. ex transmissa*, casus etiam speciales sunt, & Pontifex committit causam, in defectu Iudicis laici, ad instantiam partis, quæ recursum habuit, quod & notatur in *c. excommunicamus* §. volumus de hæreticis, ubi quod si Episcopus sit negligens purgare Civitatem sibi commissam ab hæresi, de tali negligentia per alium idoneum suppletur, quod est specialiter dispositum favore fidei, ita *c. cum scimus* q. 3. in quo, potissimum se fundant auctores primæ sententiæ, loquitur in casu speciali de æconomio deputato, & sic *Auth. de questore vers. si verò* disponit pariter in casu speciali de exteris, qui ad Urbem Constantinopolitanam accedunt iudicii causa, ne scilicet expensis præmantur, diuturna litis protractione fatigentur, disponit Imperator, quod primò Iudice negligente, alius secundum ordinem positum suppleat, omnes ergo tex. loquuntur in casu speciali, nec constituunt regulam extralium, attamen auctores primæ sententiæ possent respondere, quod tot sunt textus concedentes, quod propter solam negligentiam intret devolutio, & in tot casibus, ut meritò, ex iisdem cumulatis possit colligi regula, ne plures sint fallentiæ, quàm casus regulæ.

ARTICULUS XVIII.

An Iudex Laicus in aliquo casu suppleat Negligentiam Iudicis Ecclesiastici.

Solet disputari à D.D. an Laicus Iudex suppleat pro Ecclesiastico negligente, & licet certa fit sententia, quod non suppleat, eo quia Laicus nec habet, nec capax est habere iurisdictionem spirituales, seu in spiritualibus, sive rebus, sive personis; *Torreblanca de Magia lib. 3. c. 27. num. 24.*, & latè examinat *Carolus de Grassis de effectibus Clericatus effect. 1. num. 390.*; ita ut neque consuetudine fieri possit, ut Laicus aquirat hanc iurisdictionem, ut ibi à nu. 380., & seqq., ubi num. 19. dixerat, quod neque ex commissione Papæ, quia hæc Clericorum exemptio à potestate laica est de Jure Divino;

Ansaldo. de iurisdictione p. 3. tit. unico c. 21., *Azorius p. 1. instit. moral. lib. 5. c. 14. quest. 2.*, *Spere. decif. 126. num. 48. ubi num. 51. reddit rationem*; *Tuscus præct. concl. juris in Vers. negligentia concl. 35. num. 14.*, *Aufreer. in Clem. 1. de off. ordin. num. 67.*, & seqq., & in bulla cenzæ excommunicantur quicumque trahentes personas Ecclesiasticas ad laica tribunalia, Quod autem hæc exemptio sit de Jure Divino; videndi sunt D.D. allegati per *Dianam*, quos sequitur *p. 1. tract. 2. resol. 1. vers. secunda sententia*, & *resol. 2.*; Respectu ergo Clericorum, Iudex Laicus se habet tamquam privata persona, & penitus incompetens *l. 3. ff. de officio Præsidis*, & in *l. observare* §. ingressum ff. Pro. consul.